Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XX. Asinus et Galli.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

Visual Library

ignem ille quaerens fruſtra aliquot aedibus, inuenit tandem prunam velatam fauilla, vt accenderet lucernam. Redit ergo, vt tempus lucrari poſſet, quod circumeundo perdiderat, breuiori via, eaque recta per forum. Tum garrulus quidam e turba populi, Aeſope, inquit, cur medio ſole ambulas cum luce? Hominem, reſpondet, quaero: graduque citato abit domum. Hoc ſi moleſtus ille animaduertere et expendere voluiſſet: procul dubio intellexerit, ſe philoſopho ſeni hominem viſum non eſſe: quod prudentia deſtitutus haud oportuno tempore iocari voluerit: cum Aeſopus intentus eſſet rebus ſeriis, atque domum properaret.

Fab. XX.

Aſinus et Galli.

Qui natus eſt infelix, non vitam modo
Triſtem decurrit, verum poſt obitum quoque
Perſequitur illum dura fati miſeria.
Galli Cybebes circum quaeſtus ducere
Aſinum ſolebant, baiulantem ſarcinas. 5
Is quum labore et plagis eſſet mortuus,
Detracta pelle, ſibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio ſuo
Quidnam feciſſent? hoc locuti ſunt modo:
Putabat ſe poſt mortem ſecurum fore, 10
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

Miſerrimus, quem ſua manet poſt obitum miſeria.

Qui, ad ſubeundas calamitates ſuas, infauſto ſidere natus, per vitam non ſolum miſer eſt, ve-

attentione maiori lusus cognoscere nostros: mirum, quantum sub illis tibi commodum, quantamque vtilitatem promittere possis. Res aliquando longe se aliter habent, atque videntur: primo intuitu fallunt plurimos. Frons, oculi, vultus, quibus facillime sustinetur simulatio, saepe mentiuntur: et raro intelligunt homines, quid industria et solicitudo interioribus locis occultauerit. Quod ne frustra dixisse videar: fabellam de mustela et muribus narrabo.

FAB. I.

De Mustela et Muribus.

Mustela quum annis et senecta debilis
Mures veloces non valeret assequi:
Inuoluit se farina, et obscuro loco
Abiecit negligenter. Mus, escam putans,
Assiluit, et compressus occubuit neci. 5
Alter similiter, deinde periit tertius.
Aliquot secutis, venit et retorridus,
Qui saepe laqueos et muscipula effugerat,
Proculque insidias cernens hostis callidi,
Sic valeas, inquit, vt farina es, quae iaces.

Fallit externa species saepe rerum incautos.

Mustela, cum senectute confecta musculos non posset arripere veloces, farina exterius ita se volutando oppleuit, vt tota videretur esse farina; et obscuro se abdidit loco, ac si res nullius pretii negligentius asseruata esset. Mus, reputans escam ibi se largam reperisse, laetus exultansque praeda, accedit atque mox comprehensus enecatur. Pari modo et alios corripuit erroris incautos, et esca potiri haud dif-